



Misc. I, 6ⁿ.

1,63

12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36



Q. F. F. Q. S.


DE

28

COMMERCIO
DEI
ET HOMINVM

VEL

Von der

Gemeinschaft zwischen 
und Menschen

PRÆSIDE

DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO

SS. THEOL. D. ET PROF. P. LONGE CELEBERRIMO
TEMPLI CATHEDR. OO. SS. PRÆPOSITO GRAVISSIMO ALVMN. SAXON.
EPHORO MERITISS. ET H. T. COLLEG. THEOL. DECANO
SPECTATISSIMO

DOMINO PATRONO, PRAECEPTORE, AC STVDIORVM
PROMOTORE, PERPETVA ANIMI PIETATE
VENERANDO

AD DIEM XIII. APRIL. A. O. R. M DCC XII.

H. L. G.

PVBlice DISSERVIT
RESPONDENS AVCTOR

SAM. GERHARD. A MELLE, Lubecensis.

EDITIO SECVNDA.

VITEMBERGÆ, LITERIS IO. CHRISTIANI GERDESII. 1731.

VIR O
MAXIME REVERENDO, ATQUE AMPLISSIMO,
DN. JACOBO von MELLE,

L. L. A. A. Magistro, & ad Divæ Virginis ædem, apud Lubecenses primariam, Pastori facundissimo, & meritissimo,

Fautori suo, Fratruque in Visceribus Christi
dilectissimo, estimatissimoque,

GOTTL. WERNSDORFIVS, D.

S. P. D.

Quoniam nullum mihi tecum, Vir Maxime Reverende, hucdum COMMERCIVM intercessit; eruditum tamen FILII Tui COMMERCIVM efficit, quoddam ut mihi tecum, per literas saltem, COMMERCIVM esse velim. Qui enim totum, prope triennium, Academia hujus Alumnus multo acceptissimus fuit, is, antequam ex hac Nostra in Jenensem sese conferret, dissertationem quandam DE COMMERCIO DEI ET HOMINIS, erudite conscripsit, eandemque ut sibi meo sub Præsidio defendere liceret, sua pro modestia oravit. Quod si e Filii moribus

bus ingenium Parentis æstimare fas est, tum fieri non potest, quin TE & excellentis doctrinæ, & sanctissimi exempli Virum esse existimem. Non quidem Ego is sum, qui de liberorum præclare factis, apud eorundem Parentes, multa soleat jactare, quod hi natorum suorum indolem exploratius norunt, quam, ut opus habeant, ab aliis de eorundem studiis edoceri: hoc tamen procul adulandi suspicione, nec sine Optimi cujusvis suffragio, scripserim, omnes laudare fortunas tuas, qui Filium habeas, tali ingenio præditum. Quem enim singularis illa, qua utitur, modestia, non capiat, quem morum, quibus est ornatus, concinnitas non oblectet? Ipsa ingenuitas vultus, & oris, quæ in eodem inest, verecundia, quam bene sit natus, quam sollicitè a pueris educatus, ostendunt. Atque ut hujus rei testimonium perhibebunt omnes, qui eodem familiariter utuntur; sic vereor, ut quis, præter me, certius de illius industria, & in literis contentione, dicere testimonium possit. Namque ut Eundem aliorum adiisse scholas, ex iisque multum profecisse, non negem; mihi tamen ea tenacitate adhæsit, ut totum illud, quo apud Nos fuit, triennium, meo a latere vix unquam discesserit. Neque vero nunc quantas in omni genere literarum progressiones fecerit, exponam, quum pro eodem erudita, quam totam sibi jure vindicat, dissertatio, loquatur. Id

unum

unum addo, quod, ubi universam, quam inis,
studiorum rationem penitus inspecio, Virum mi-
hi undiquaque dexterrimum, eruditissimumque
minari videatur. Gratulor igitur mihi hunc Au-
ditorem, Familiæ Alumnum, Patriæ Civem, Tibi
autem imprimis talem Filium, qui acceptum a
Patre, Patriæque, nomen cum fœnore quodam
reddet, decusque familiæ extendet, ac virtutis
sue magnitudine sustentabit. Hoc, scio, voves
ipse, Maxime Reverende Vir, atque adeo ut vel
dignitatem, nomenque tuum, si fieri possit, vin-
cat. In quo tuo, nostroque, voto, quod DEVS
immortalis habeat ratum! plenus bonæ spei jam
desino, meque tuis, & Collegarum Tuorum, qui-
buscum in uno Spiritu perseverare discupio,
hinc precibus, hinc benevolentia, commendo!
Vale! Vitteemb. in Saxonibus pridie Cal. Apr.
elo 10 cc XII.



Humani generis non minima in eo felicitas refidet, quod ipsi providens rerum conditor commune *συνβίασις* vitæque socialis præsidium concesserit. Cum enim homo in statu solitario, & extra societatem omnem, maxime miser futurus esset: sapienter eundem Supremum Numen *animal* vult esse *socialis*, juxta effatum LACTANTII *Divin. Instit. Lib. VI. de vero cultu, c. 10. p. 426. edit. C. Cellar.* ut mutuo illo vinculo nexus promptiora haberet ad felicitatem sibi parandam subsidia. Hinc & rationis usus & loquelæ munus ipsi a DEO datum videtur, quo his quasi uteretur mediis, ad eo melius dirigendam civilem communitatem, *ad quam natura conjunctus est & consociatus*, teste CICERONE *l. 3. de finib. c. 20.* Quam ille normam si sequatur, præfixumque hoc officiorum erga alios principium rite attendat; non potest non ipsi civiliter bene esse, atque externa ejusdem felicitas & augeri & conservari. Cum itaque ex conjunctione & congregatione hominum inter se tot ac tanta oriantur commoda; longe sane præstantiora profluant necesse est emolumenta ex illo consortio & commercio, quod cum ipso convictus hujus humani auctore, DEO Summo, ceu vivo quodam omnis boni fonte, initur ac colitur. Neque enim inde tantum civiles aliqui fructus redundant, aut externa quædam solummodo acquiritur incolumitas, sed ipsa spiritualis animæ tranquillitas, & plenissima olim bonorum æternorum perceptio. Quam in rem haud immerito hominem cum PLATONE *de legib. dialog. l. p. 518. edit. Basil. MD XXXIV. fol. dixeris* *ἑαυτὰ τῶν ζῴων θεῶν*, & animal DEO proximum cum QUINTILIANO *Declam. 260.*

p. 418. *edit. Ulric. Obrechtii, Argentor. MDCXCVIII. 410.*
Ideoque dignum hoc ipsum COMMERCIVM DEI ET
HOMINVM visum est, in quo delineando & deducendo
paulo amplius, favente Numinis gratia, qualescunque in-
genii vires exerceremus.

§. II. Dum autem COMMERCII voce utimur,
commoda eadem & idonea explicatione fuerit munienda.
Notum enim est, primam & nativam vocis hujus significatio-
nem innuere *mutuum commeandi contrahendique exercitium, ab
iis, qui merces utro citroque convehunt, appellatum.* Trans-
fertur deinde ad sensum magis amplum & laxiorem, & *de usis
familiaribus ac consuetudine quovis usurpatur;* quam in sententi-
am frequens *commercii literarum* apud Auctores occurrit
mentio, & CICERO *de Senect. c. 12. non habere ullum cum vir-
tute commercium voluptatem,* dixit. Itaque quæ hic dicun-
tur *ἐνθροπονικῶς* explicanda sunt *θεογενῶς*, ut adeo
per COMMERCIVM DEI ET HOMINVM nihil in-
telligatur aliud, quam societas quædam DEI cum homini-
bus quocunque modo instituta.

§. III. Ac initio quidem ante omnia necessum
fuerit, ut in exponendo *commercio*, quod DEO cum homi-
nibus intercedit, spuria separentur a germanis, quo co fa-
cilius

quid distent æra lupinis

judicare queamus. Rejiciendum igitur & removendum
est omne commercium tale *falsum & fictivum*, quale ven-
ditarunt multi, qui vana quadam aut ambitione aut super-
sitione ducti majorem rebus suis autoritatem conciliare
voluerunt. Gentilium ingeniosa semper hæc in parte fu-
it solertia, qui quo longius a vero cum Numine com-
mercio aberant, eo proprius ad illud accedere videri vo-
lebant. Prævit *Romanos* suo quodam exemplo alter illo-
rum post Romulum Rex NVMA POMPILIVS, qui cum
sacra

sacra & ceremonias, omnemque cultum Deorum institueret, Pontifices, Augures, Saliosque initiaret, focumque Vestæ virginib. colendum daret: nocturnos sibi cum DEÆ Egeria congressus esse, ejusque monitu, quæ acceptissima Diis forent, sacra se ordinare simulabat, quo majus legibus suis pondus adderet. Vid. LIVIUS l. 1. c. 19. VAL. MAXIMVS l. 1. c. 2. FLORVS l. 1. c. 2. p. 40. sq. edit. Laur. Begeri, Colon. March. M DCC IV. fol. Crevit deinde apud Romanos superstitionum varietas, & cultus idololatrici copia, qui extructis innumeris fere Deorum templis peragebatur. Hinc & illa ancilis tanquam cælitus delapsi veneratio, & carminum Sybillinorum, ceu præsentis cujusdam DEI, custodia. Nec minus cæteræ gentes, & inprimis Græci, a quibus sua hauserant Romani, commercium sibi cum DEO, licet vanum & inane, vindicare volebant, quando sibi ipsi finxerunt Deos, illorumque coluerunt oracula, quæ, teste SENECA Rhet. præf. lib. 1. controu. p. 66. edit. Elzev. Amstelod. M DC LXXII. svo pro voluntate divina hominis ore enunciata habuerunt, rectius vero cum THEODORETO Sermon. de oraculis, ἀπάτης ἐργασίη, fallaciæ officinæ, dicuntur. Celebratissima eorum sunt Dodoneum in Epiro, Jovis Hammonis in Lybia, Pythium Delphis, Antiocheum, Trophonium, Pharense, aliaque, de quibus post CASP. PEVCERVM in pereleganti de Divinationibus libello p. 219. sq. & PETR. MOLINÆVM in Vate lib. III. c. VIII. p. 102. sq. adire licebit DAN. CLASENIVM & EDMUND. DICKINSONVM, quorum uterque, alter quidem in erudito de oraculis gentilium opere, alter in Delphis Phœnicissanibus, de antiquitate eorum, initiis, auctoritate, & numero, luculenter est commentatus. Plures alios laudat Vir Summe Reverend. DN. D. G. H. GOETZIVS, Antistes patriæ nostræ urbis dignissimus, Mæcenas ac studiorum Amplificator æterno mentis obsequio venerandus, quem sibi
in

in prælidium decusque certissimum ecclesia & literatus orbis fospitem ulterius a DEO servari ardentissime exoptat, in *Specimine prælect. S. in B. N. Hunnii Epitomen credendorum, Lubecæ M DCC VIII. 8vo edito, ad cap. I. §. 10. p. 18.* Eadem commercii divini affectatio occupaverat animos *Philosophorum Pythagoricorum inprimis & Platoniorum*, qui τὸ τέλεον Φιλοσοφίας statuerunt ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ, de qua vid. celeb. JOH. SCHEFFERVVS in *præstant. lib. de nat. & consuet. Philos. Italicæ, Witteb. M DCC I. 8vo recuso, cap. VII. p. 42. sq.* Unde & ipse PYTHAGORAS & PLATO subinde a sequacibus suis Θεοὶ salutati, quos alii secuti eandem suis amicitiae divinæ persuasionem ingenerare sunt conati, nec magis raro artibus illam obtinere quæsierunt. Vnum ex his adducere liceat JAMBlichVM, ἰδιδάσκαλον Θεότατον a discipulis dictum, qui cum aliquando in thermis Gadarensibus lavaret, testandæ familiaritatis cum Diis inire gratia paucis admurmuratis verbulis de fontis imo duos pufiones parvulosque amorum Deos excivit, candidos nitidosque, eosque, cum artissimis circumfusi complexibus sibi velut naturali patri aliquantisper inhæssissent, mox in proprias suas sedes restituit, obstupefacto comitum & familiarium cœtu: prouti testatur EVNAPIVS SARDIANVS in *Jamblichō p. 26. sq. edit. Hieron. Commelini Colon. M DC XVI. 8vo* Vid. quæ idem Eunapius de CHRYSANTHII cum diis commercio refert *p. 146. & 157.* Pertinent huc itidem *incubationes Sacræ*, quando gentiles in templis Deorum dormire solebant, responsa ab iis per somnum accepturi. Ita enim SERVIVS *f. 167. edit. Jodoci Badii Ascensii M D XII. fol. ad illud Æneid. VII. 88.*

*Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit,
Incubare dicuntur proprie, qui dormiunt ad accipienda responsa.*
Conf. laud. CLASENIVS in *Theol. gentili, Parte I. c. 4. §. 17. p. 50. seq.* & HENR. MEIBOMII *Exercit. de incubatione in sa-*
B

nis Deorum, Helmsf. MDCLIX. Horridum nimis & sævum hoc fuit per oracula institutum cum dæmone commercium, dum nimirum vates ethnici daturi sciscitantibus responsa adeo agitabantur, ut ἐβδυσίαζόμενοι & furore perciti, nec corporum suorum, nec mentis rationisque compotes esse amplius possent: de quo *Virgilius* de Sybilla *Cumæa lib. VI. Aneid. v. 47.*

- - Non vultus, non color unus,

Non comæ rursus comæ; sed pectus anhelum,

Et rabie fœvâ corda tument: majorque videtur,

Nec mortale sonans, afflata est numine quanto

Jam propiore DEI.

§. IV. Sicuti igitur inspiratio & agitatio vatum horum ἐνεργησιμῶν a malo proficiscebatur genio: ita & non immerito illa, quam *Judeorum* quondam jactabant Pseudopropheta, *Ἰσορροβία* vel a Spiritu erroris, vel a turbellis phantasiæ orta fuisse judicatur. Tanta enim populi Judæici erat amentia, ut qui antea commercium cum divino Numine coluissent & verissimum & sanctissimum, relicta nihilominus postea luce sectarentur umbras, & scaturigine ipsa neglecta cisternas sibi quærerent fractas *Jerem. II, 13.* Hujus generis Pseudopropheta erat *Zidekia*, filius *Chænæ*, qui tamen Spiritum Domini minime a se recessisse prætexebat, *1. Reg. XXII, 24.* nec non *Hanania*, qui ob relata Judæis mendacia a DEO morte plectebatur, *Jerem. XXVIII, 15. seq.* Dum vero de his talibus graviter DEVS conqueritur: *Ecce ego ero contra prophetantes somnia mendacii, & qui narraverunt ea, ut seducerent populum meum per mendacia sua, & per levitatem suam, cum ego neque miserim eos, neque preceperim eis, Jerem. XXIII, 32.* simulque fidem ipsis haberi interdicit: *Ne attendite ad verba Prophetarum prophetantium vobis, quia vanos illi vos reddunt, visionem cordis sui loquuntur, non ex ore Jehovæ, Jerem. XXIII, 16.* palam eo ipso testatum fecit, nihil sibi cum iisdem esse commercii.

§. V.

§. V. Judæis apponimus, qui sua non pauca ab illis deduxit, MVRAMMEDEM, famosum illum Anti-Christianismi Orientalis sub imperio Heraclii autorem & statorem. Is enim cum inuitatum religionis chaos construeret, ut fidem faceret dictis, colloquia divina fingebat, nec non columbam, alimentis quærendis aduetam, sibi que advolantem, Spiritum S. esse mentiebatur, qui veluti in aures deponeret, quæ monitu forent necessaria. Cumque idem morbo vexaretur epileptico, impetum ejus prophetica *ἐνδόξα*, & Gabrielis circumfulgente majestate callide excusabat. Conf. GEORG. ELMACINVS in *Historia Saracenicæ*, & HOTTINGERVS in *Hist. Orientali*, Lib. I. c. 1. p. 14. & Lib. II. c. 4. p. 400. sq. Merito proinde jactatum hocce cum DEO commercium tanquam frivolum & inane reprobamus.

§. VI. Nec minus hic in censum venit omnis *Fanaticorum & Enthusiastarum*, sensu ecclesiastico & strictiore sic dictorum, colluvies, siue remotior eam, siue recentior ætas tulerit. Nunquam enim in ecclesia defuere ejusmodi generis *Pseudo-Christiani*, qui arctius cum DEO commercium, & majorem familiaritatem sibi adscriberent, uti illos ex Cromwelto apud Bate in *Elench. Mor. Angl. delineat* JO. GVIL. BAIERVS in *Synops. & exam. Theol. enthusiast. Diss. III. c. II. §. 8. p. 108.* quique propterea nescio quos afflatus divinos, raptus, somnia, visiones angelicas, revelationes internas atque immediatas, & inanem quandam luminis cœlitus infusi persuasionem temere præsumerent. Laboravit ævum antiquius Montanistis, & qui surculus eorum fuere, *Messalianis* S. *Euchitis*, nec non *Donatistis*, qui errores suos Domini jactabant prophetiam & crebro ingerebant: SOMNIAVI, uti queritur B. HIERONYMVVS ad *Jerem. XXIII*, Vid. Summe Rev. D. J. F. MAYERVS, Theologus de universa ecclesia immortaliter meritis in *Commentatione de Pietistis Ecclesie veteris*, Ham-
burg.

burg. M DC XCVI. 4to edita, cap. V. §. 5. p. 87. seq. Protracta deinde in lucem sunt iterum prisca illa deliria, sub auspiciis imprimis emendatæ per LUTHERVM religionis, dum visiones & inspirationes cœlestes jactarunt Anabaptistæ, ducebatur Nicolao Ciconia, Marco Elsterbergio, Marco Stübnero, Martino Cellario, Thoma Münzero, ut & Carolostadio, aliisque, quibus sese mascule opposuit MEGALANDER noster Tom. III. Altenb. wider die himmlischen Propheten, p. 40. seq. Subsecutis vero temporibus propagatum est malum in Schwencfeldianis, Weigelianis, Böhmistis, novellis Prophetis, Chiliasis, Reseruciaris, Quackeris, Labbadistis, & Sanctulis novaturrientibus, de quibus omnibus & nervose & solide & erudite, ut ubique solet, egit Magnif. DN. D. PRÆSES in prolegom. Praelectionum Anti-Fanaticarum MS&L. §. 13. seq. Conf. omnino PANTHEON Anabaptisticum & Enthusiasticum M DCC II. fol. editum, & adde, si volupe est, post alios Scriptorum Anti-Fanaticos, quem consanguinitatis gratia nominamus, proavi nostri M. JAC. STOLTERFOTHI, ecclesiæ quondam Lubecensis in primario B. V. Mariæ templo Pastoris meritisfimi, considerationem visionum, seu Schriftmässiges Bedencken, was von Gesichtern heutiges Tages zu halten sey, Lubecæ M DC XXXIV. 12mo. Historiam von David Georgen, Lub. M DC XXXV. 4to. considerationem visionum apologeticam, Lub. M DC XLV. 4to. & Nochmahlige kurtze, iedoch gründliche, Wiederholung der Streitigkeit von den neuen Gesichtern, Lub. M DC XLIX. 4to. Valeant igitur crassi isti homines, quoniam obfignato jam canone nullas amplius eidem æquales expectari debere revelationes fideles norunt; valeant itidem sublimiores ii, qui cum Petro Poineto & affeclis alloquium internum, ex scintillula & particula essentia divina cordi insita oriundum, propugnant; quod figmentum jam dudum refutarunt Theologi nostri, & ad autores fabulae Pythagoram & Platonem, omnium ferme hæresium condimentarios, remiserunt.

§. VII. Rejctis ita falso jactatis divini commercii
genc-

generibus præcipuis, pedem proferimus ad *verum & genuinum DEI* & hominum commercium, quod ipsum melioris doctrinæ gratia dispecere licebit in *jam dudum factum, adhuc bodie contingens, & aliquando demum futurum.* Primum iterum accidit vel *ante lapsum, vel post lapsum.*

§. VIII. *Ante lapsum* primi totius humani generis propagatores non poterant non sibi de felicissimo & perfectissimo cum Numine commercio gratulari. Cum enim DEVS tanto in hominem amore ferretur, ut non modo de creando eodem peculiarem quasi *περὸ βελτίου* suscipere dignaretur, *Gen. I, 26.* sed & in creatione ipsa eum perfecta sapientia & sanctitate, aliisque dotibus excellentissimis instrueret, *Gen. I, 27. 28. II, 8.* hunc etiam deinde amorem sine intervallo aliquo *ἴτα* gratiosæ conversationis ulterius voluit declaratum dare. Ad hæc sicut per naturam singulari DEI favore utebatur, quippe ad imaginem ejus conditus; sic per eandem quoque gaudebat gratia SS. Trinitatis inhabitante. Nec enim Mediatoria hæc erat, vel Medicinalis, quæ, ut nunc post lapsum, corrigendi, sanctificandi, renovandi causa adesset; sed potius erat, perinde ut ipsa imago DEI, homini naturalis, quæ illum ad optima quæque excitaret, lætitiâque auget, ejusque felicitati cumulum superadderet. Conf. *Disp. VI. Tom. I. Vitæemb. p. 99.* Exeruit sese illa imprimis, cum DEVS homini benedictionem efficacissimam impertiretur, solemnem legem proponeret, & mutuam offerret adjutorium, *Genes. I, 28. II, 16. 22.* Et quanquam ob transgressum postea mandatum justissimas DEVS habuisset causas omnem suam humano generi amicitiam subtrahendi: nihilominus tamen, quæ inexhaustæ ejus bonitatis fuit abyssus, novum quasi cum ipso fœdus pepigit, quando auspiciatissimum prædicabat protevangelium, pristinamque benevolentiam identidem redintegrabat.

§. IX. *Temporibus quippe lapsum insecutis varii admodum commercii divini viguerunt modi, qui ratione temporis distingvi possunt, ita ut alii in Veteri, alii in Novo, Testamento obtinuisse dicantur.*

§. X. Cum igitur DEVS olim in Veteri Testamento πολυμορῶς ἢ πολυτρόπως locutus sit Patribus in Prophetis, teste Apostolo Hebr. 1, 1. non exigui sane momenti res est, varietatem harum revelationum ad certas classes revocare. AVGVSTINVS STEVCHVS EUGVBINVS, citante B. SCHERTZERO Syst. Loc. I. §. 7. p. 7. & verba ipsa referentibus HORTINGERO Thes. Philolog. Lib. II. c. 3. Sect. 4. p. 579. seq. nec non ex Paulo Fagio in notis ad paraphrasin Onkelosi Chaldaicam BIBLIIS CRITICIS ANGLIC. Tom. I. p. 980. seq. edit. Francof. ex Num. XII, 6. 8. quinque harum revelationum modos colligit, במראה per visionem, cum intuemur per visiones, בחלום in somnio, quod per visionem etiam fieri potest בחזרת in enigmate, cum aliud videtur, aliud innuitur, בחזרת in figura, cum rerum imagines intuemur, & פה אל פה ore, ad os, per allocutionem divinam. Alia est veterum Hebræorum distinctio, quam refert JOH. MVSÆVS introd. in Theol. Parte II. c. 1. §. 6. p. 226. & THOM. GOODWINVS in Mose & Aarone Lib. IV. c. 8. p. 719. edit. J. H. Hotting. qua revelationem faciunt vel רוח הקדש s. Prophetiam, vel רוח השראה s. inspirationem Spir. S. vel אורים & תמים s. luces & rectitudines, vel denique בת קול s. filiam vocis. In qua tamen minus recte רוח הקדש a רוח השראה separant, confutati ideo a JAC. GUSSETIO p. 782. Comment. L. Hebr. Plurimos alios distinguendi modos suppediabit GISB. VOETIVS Parte II. Select. Disp. p. 1036. seq. Nos ita hac in re versabimur, ut non omnia quidem talis commercii genera suscepersequamur, sed præcipuis tamen strictim perlustrandis inhæreamus.

§. XI. Si comparationem quandam inter illa institue-
ere

ere velimus, primam considerationem mereri videtur ille commercii divini modus, qui *immediate* ab ipso DEO profectus, præ illo, qui *mediate* & intervëntu aliarum personarum factus est. *Priorem* cum HERM. WITSIO *Miscell. Sacr. Tom. I. lib. I. c. 3. p. 16.* non incommode facimus vel *Simplicem* vel *Symbolicum*. *Simplex* est, qui solo interno Spiritus instinctu peragitur, ac Hebræis רוּחַ הַקֹּדֶשׁ, alias vero illuminatio Spiritus S. & a Paulo 2. *Tim. III. 16.* Θεοπνευσία dicitur. Uti enim ipse DEVS purissima mens est, ita etiam cum mente hominis intimo quodam & secreto colloquio potest conversari, quod non auditur neque intelligitur nisi a mente, ad quam vel in qua peragitur. Hæc inspiratio divina imprimis pertinet ad Prophetas & Scriptores Sacros, qui ὑπὸ πνεύματι ἁγίῳ φερόμενοι sunt locuti, & propterea ἱ ἅγιοι Θεὸν ἀνθρώποι dicuntur 2. *Petr. I. 21.* Eorum enim mentes in declarandis rebus gravissimis afflatu suo divino ita dirigebat Spiritus S. ut viribus intelligendi & sentiendi elevatis DEI revelantis verba & conceptus, clare percipere, & sine omni erroris periculo exacte reddere potuerint, ceu loquitur immortalis memoriæ theologus B. J. G. NEVMANNVS in *Theol. Aphor. cap. II. præcogn. Spec. p. 129.* Appellatur ea itidem in Scripturis locutio DEI, interna nimirum, quando David in cantico suo cygneo ait: Spiritus Jehovæ locutus est in me, & sermo ejus super lingua mea, dixit DEVS Israëlis, miki locuta est petra Israëlis, 2. *Sam. XXIII. 2. 3.* & alibi satis frequenter legimus de verbo DEI in Prophetis, quod nimirum ipsis ἐλάλησεν τὸ ἐν ἁποστόις πνεῦμα. Χριστῶ 1. *Petr. I. 11.* Rectius proinde de hac Θεοπνευσία, quam de μεντινῆ, sive falso ita nuncupata Θεομαντείᾳ, ΠΛΑΤΟ in *dial. quem Συμπόσιον* inscripsit p. 132. dicemus, eam esse κοινῶν περὶ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων πρὸς ἀλλήλους, καὶ διμυθεγόν τῶ Θεῷ καὶ ἀνθρώπων Φιλίας, communionem DEI hominumque invicem, & conciliatricem amicitia inter DEUM & homines.

§. XII.

§. XII. Simplicem commercii immediati modum excipit *Symbolicus*, accedentibus quibusdam Speciebus & Symbolis insignitus, quæ vel *externis* sunt oblata *sensibus*, vel *phantasia*. *Audium* imprimis placuit DEO afficere, dum ipse compellatione vocis humanæ usus, ex arcana vel ut sede prodiens sese hominibus aperuit. Orale[m] hanc allocutionem sæpissime factam fuisse novimus *Patriarchis*, e. g. Noacho, *Gen. VI, 13.* ejusque filiis, *Gen. IX, 1. 8.* Abrahamo, *Gen. XII, 1. 7. 14. XV, 1. sq. x. T. λ.* Isaaco, *Gen. XXIV, 2. sq.* Jacobo, *Gen. XXXV, 1.* & similiter *Prophetis*, Samueli, *2. Sam. III, 4. 6. 8. 10.* Eliæ, Elifæ, reliquisque, nec non *impiis & profanis hominibus*, Caino, *Gen. IV, 9.* Bileamo præstigiatori, *Num. XXII. 9. 12.* ut & *Sexui sequiori*, *Num. XII, 4.* Pari modo intercedente *videndi sensu* per *ἐπιφανεῖας & φανερώσεις* DEUS se præbuit conspiciendum, quas variis formis factas historia sacra tradit. *Modo enim* in assumpta forma hominis eæ contigere, *Gen. XIX, 2. XIX, 1.* modo sub ignis, *Exod. III, 2.* nubis, *Exod. XIII, 21. XXIV, 16. XXXIV, 5.* modo sub alio quodam schemate. *Tactus* etiam sensui suam declarare præsentiam voluit DEUS, cujus exemplum extat in Daniele, *Dan. IX, 10.*

§. XIII. Neque tamen hi ipsi commercii divini modi ita a se invicem sejuncti fuerunt ac separati, quin vel alterutri, vel omnes simul nonnunquam concurrerent. Namque & alloquium sub forma conspicua est peractum, & *ἰδῆσθαι* atque *ἰσθῆναι* apparitionem quamcunque, jam *cum*, jam *sine*, verbo oblatam arguit, *Gen. XV, 1. Exod. III, 3.* Illustre in historia Jacobi occurrit exemplum, ubi ille videt DEUM specie humana secum colluctantem, *sentit* acetabulum femoris sui lædi, *auditque* luctatorem istum varios secum miscentem sermones, *Gen. XXXII, 24. sq.* Præ reliquis insigni hic privilegio gavisus est *Moses*, amicus DEI fidelissimus, quippe qui intimiore quodam commercii modo &

audiuisti & uidisti supremum Numen. De ipso enim testatur Sacrae literæ, quod Jehova locutus fuerit cum eo רעהו פנים אל פנים כאשר ידבר איש אל רעהו a facie ad faciem sicut loquitur vir ad socium suum, Exod. XXXIII, u. Imo DEUS ipse asserit: Si fuerit Propheta vobis, ego Jehovab in visione ipsi notus fiam: in somnio alloquar eum. Non sic servus meus Moses, qui est in tota domo mea fidelis, פה אל פה, ore ad os loquor cum eo, & visione, non per ænigmata, adeo ut speciem Jehovæ conspiciat. Hinc & CONSTANTINVS MANASSES, haud incelebris rerum Byzantarum Scriptor, in Breviario historico, politicis versibus conscripto, quod Job. Meursus græce primum edidit, Mosen Θεόπτην vocat:

Καὶ πέμπει τέτοις τὸν Μωϋσῆν, τὸν μέγαν τὸν Θεόπτην.

Cui & hæc accedit prærogativa, quando tabernaculum ingressus est, oracula ex propitiatorio acceperit, Exod. XXV, 22. Num. VII, 89. quod de nullo alio in Scriptura legitur, nec confundi debet cum modo respondendi per Urim & Thummim, uti fecit PETR. MOLINÆVS in Vate L. 1. c. 22. p. 43. notante B. CALOVIO Syst. Tom. I. c. III. p. 291. Nec minus huc referre licebit solemnem illam, & medios inter ignes & fulgura ὀυροφάνωσ a DEO factam, legis promulgationem, quæ describitur Exod. XIX. ut & populi Judaici sacramenta, sacrificia, locorum & dierum sanctorum rationem, omnemque cultum Leviticum, quippe qui Symbola externis objecta sensibus continebat, quibus DEUS suam testatus præsentiam ceu typica quadam pædagogia utebatur, ut Messiam aliquando salutariter incarnandum præsentaret.

§. XIV. Sed quorsum spectabit ille commercii divini modus, quem per אורים & תמים factum esse sacri nos codicis auctoritas edocet? Nostrum quidem non erit, omnia illa sententiarum divortia prolixo sermonis filo persequi,

quæ partim de oraculo ipso, partim de modo per illud DEUM interrogandi, apud hermenevtas sese offerunt, & tanta sunt, ut vel ipsa decisione per אורי ותמי indigere videantur. Sicuti enim facile tanquam a veritate remotiores rejiciuntur *Rabbini & Cabaliste* plurimi, qui nomen τετραγεγραμματος אורי pectorali inscriptum & insertum fuisse volunt, quod iudice celeb. JOH. LIGHTFOOT in *Spicilegiis in Exod. Tom. I. Opp. p. 186. edit. Roterod. M DC LXXXVI. fol. magis exorcisnum aliquem sapit, quam oraculum divinum*: sicuti pari ratione reprobatur JOH. SPENCERVS, (cum quo sentit JOH. CLERICVS ad *Exod. XXXII, 30.*) qui in libro de *Urim & Thummim, Cantabrigiæ* primum M DG LXIX. evulgato, deinde vero commentario de *legibus Hebræorum ritualibus lib. III. Diss. VII. p. 85. - - 988. edit. Cantabrig. M DC LXXXV. fol. inserto, Christophori a Castro lib. III. de vera futurorum cognitione c. 3. interpolavit sententiam, quando ideo Urim & Thummim ut nomine, sic numero & usu distincta dicit, ut eo felicius utrumque ex Ethnicorum ritibus, & illud quidem ex Chaldæorum Syrorumve Theraphim, hoc vero ex Ægyptiorum ἀγάλματι, ΑΑΗΘΕΙΑ dicto, derivet: cujus doctrinæ compendium succinctum exhibet JOH. BENED. CARPZOVIVS in *notis ad Wilh. Schickardi Jus regium Hebræorum, p. 30. seq. simulque refutationem illius ibidem subnectit, p. 44. seq. Conf. cl. THOMASIVS de plagio in Access. §. 693. p. 28. seq.* ita e contrario illorum non jam examinabimus opiniones, qui vel cum AVGVSTINO, quem sequitur BELLARMINVS, CORN. a LAPIDE, SALIANVS, nec non J. GUSSETIVS in *Comment. L. Hebr. in voce אורי p. 906. a. ipsas voces אורי & תמי in medio pectoralis expressas fuisse existimant; vel cum ARIA MONTANO in Aarone singulare, quippiam, a geminis & pectorali distinctum, tersumque instar speculi, & a DEO ipso ἀμέσως Mosi traditum fuisse censent: vel aliam quamcunque exponendi**

nendi rationem sequuntur. Vid. BALTH. MEISNERI *Philos. Sobr. Part. II. Sect. I. c. III. qu. 3. p. 397. seq.* Id certum est, peculiare fuisse revelationis genus, uti ex collatione locorum *Exod. XXVIII, 30. Lev. VIII, 8. Num. XXVII, 21. Deut. XXXIII, 8.* apparet, & distinctum a somniis & visionibus & prophetiis *1 Sam. XXVIII, 6.* Si tamen aliquis conjecturæ locus relinquendus, illa præ reliquis veri quadam similitudine gaudere videtur sententia, qua cum B. CALOVIO in *Bibl. illustr. ad Exod. XXIIIX, 30. p. 444.* & B. PFEIFFERO, Præsule quondam ecclesiarum nostrarum gravissimo, in *Dub. Vex. Cent. I. p. 243.* ac aliis *Philologis* plerisque, statuitur, וְתַמִּים וְאֹרִיִּם nihil aliud fuisse, quam ipsos duodecim lapides in pectorali dispositos, ita dictos propter usum singularem, cui divinitus erant destinati, quod DEVS per eorum, tanquam Symbolorum quorundam, sive extraordinariam coruscationem, sive eminentiam literarum insculptorum nominum sive per illuminationem intellectus illius, qui pectorale hoc gestans DEVM invocabat, quod PFEIFFERO imprimis placet, responsa dederit & perspicua & certa & perfecta. Cujus rei fundamentum ex eo desumitur, quod in *ὄνυκας Φαλακκῶσαι* illa *Exod. XXXIX, 8. seqq.* ubi minutissima etiam non negliguntur, specialiter non commemorentur *Urim & Thummim*, sed ipsi saltem lapides, uti contra *Levit. VIII, 8.* memoratur *Choseben cum Urim & Thummim*, sine explicata mentione gemmarum. Recentissime non exiguam sententiæ huic lucem affudit CASP. NEVMANNVS, *Eccles. & Scholar. Evang. Vraislav. Inspector, & Gymnasi utriusque Prof. Theologie*, Vir egregius in penitiorum literaturam hebraicam meritis inclutus, qui in *Biga Difficultatum Physico-Sacrarum, Vraislaviae MDCCVII.* 4to edita & recusa *Lipsiæ MDCCIX.* *Positione imprimis VI. & VII. pag. 9. seq.* juxta leges ingeniosæ suæ de significatione literarum hebraicarum hieroglyphica hypotheseos, elegantissime declarat, *Urim in ornatu pectorali Sacer-*
C 2
dotis

dotis nihil fuisse aliud, quam gemmas a fulgore suo; Thummim autem easdem a superficie, quam habebant, plana atque equali denominatas. De gemmis ipsis vid. LUDOV. de DIEV in *Critica S.* pag. 25. seq. edit. Amstelod. MDCXCIII. fol. & Cl. MATTHEVS HILLERVS in *Syntagm. hermenevticis*, superiori anno Tubingæ evulgatis, *Loc. I. p. 1. seq.*

§. XV. Ex quibus jam liquet, coluisse DEVM cum gente Judaica per וְרִיבֵי וְחֵמִים commercium & fidelissimum & amicissimum, quod a condito tabernaculo usque ad destructionem templi primi durasse, Hebræorum magistri tradunt. Ubi quidem, quod obiter addimus, præter rem fortassis Is. CASAVBONVM eo nomine notare videtur Jo. LVNDIVS in *Jüdischen Heiligthümern Lib. I. c. VI. n. 26. p. 434. b. edit. Hamburg. MDCCXI. fol.* quod in *Exercitationib. adv. Baron. Exerc. X. n. II. p. 206. edit. Genev. rationale judicii five Urim, & Thummim totis templi secundi temporibus nunquam visum esse asserat; cum tamen ille, uti inspicienti patebit, verum illud & genuinum a Mose primitus jussu DEI adornatum, hic vero spurium & fictitium intelligat, quod a Judæis sub templo secundo, ne quicquam deesset ornatui Pontificio, imitatione artificiosissima fuit expressum, tametsi nullus ejus usus esset, teste, qui primus inter Judæos nugari desit, R. Maimonide, quem citat JOH. SELDENVS de *Synedrüs veterum Ebræorum, Lib. III. c. XIII. §. 7. p. 1202. edit. Freft.* Plura qui cupit, adeat MATH. POLVM in *Synopsi Critic. ad Exod. XXVIII, 30. p. 463. seq. edit. Londin.* THOM. GOODWINVM in *Mose & Aar. Lib. IV. c. VIII. §. 10. pag. 723. & celeberr. Dresdensium Præsulem D. V. E. LOESCHERVM in edlen Andachts-Füchtern, Parte III. p. 481. seq.* Add. BVXTORFIVS, qui hic instar multorum est, *Exerc. de Urim & Thummim p. 267. seq.* alique, quos magno numero laudant PFEIFFERVS in *D. V. p. 244. seq.* & LVNDIVS *l. c. p. 430. seq.**

§. XVI.

§. XVI. Sunt, qui iis, quæ *audiui* fuerunt objecta, annumerari etiam volunt illam revelationis speciem, quæ *קול* כה *filiæ vocis* dicitur. Qua mirabili nomenclatura Targumistæ, Talmudistæ, cæterique Rabbini nuncupant quendam ex *קדש רוח מדרגות* gradibus Spiritus S. seu vocem DEI ex monte Horeb cum tonitru allatam, & ex eo quasi ortam partamque, quæ postquam desierat Prophetia, & *ותמי* אורי *usitata* fuerit tempore templi secundi teste B. SAL. GLASSIO in *Rhetorica S. Tract. I. c. IX. p. 1697.* Ita enim *Excerpt. Gemar. tract. Sanhedr. c. I. §. 13.* citante J. H. HOTTINGERO in *notis ad Goodwin. pag. 727.* *משתמו נביאי* האחרונים הגי זכריה מלאכי נסתלקה רוח הקדש מישראל ואם אל פי כן היו משתמשין בכה קול *Ex quo mortui sunt Prophete ultimi, Haggai, Zacharias, & Malachias, recessit Spiritus S. ab Israël: nihilominus fruebantur filia vocis.* Quamquam nec desint, qui jam multo ante viguisse *קול* כה contendant, & loca adducant *Job. IV, 6.* uti facit HVG GROTIVS ap. CALOV. *Bibl. Illustr. ad b. l. p. 888.* nec non *Job. XIV, 15. XXXVII, 2. 1. Reg. XIX, 9. seq.* uti videre est apud LVNDIVM *loc. sup. laud. num. 32. p. 435. b.* A plerisque tamen in templo demum secundo adfuisse narratur, & extenditur ad ipsa Novi Testamenti tempora, dum illa huc revocantur oracula, quæ *vocem cælestem, sive repercussionem & reduplicationem ejusdem* aliquam hominibus auditam fuisse asserunt, qualia existimantur esse *Matth. III, 17. XVII, 5. Job. XX, 28. & Act. IX, 4.* Exempla alia ex *Talmude Hierosolymitano* profert BVXTORFIVS in *Lexico Obald. Talm. Rabbin. p. 553.* & LIGHTFOOTVS, qui *judice celeb. J. F. MAYERO* in *Biblioth. biblica Diss. VII. §. 9. p. 112.* immortalem post se gloriam reliquit allatæ Novo Test. ex tenebris Rabbinicis clarissimæ lucis, in *Horis Hebr. & Talmud. ad Matth. III, 17. Tom. II. Opp. p. 276.* Enimvero sicuti vocem aliquando cœlitus auditam fuisse etiam post excessum Prophetarum profus negandum

gandum non esse, recte docet WITSIVS *Misc. Sacr. Tom. I. p. 19.* ita non immerito plurimæ historiæ illarum, quæ de קור בת occurrant, cum LIGHTFOOTO *l.c. p. 275. & 147.* partim pro meris Rabbinorum commentis, partim pro delusionibus magicis & diabolicis sunt habendæ. Idem est iudicium JAC. GUSSETII, recentiores inter Lexicographos omnium laboriosissimi, qui in amplissimis lingue Hebr. commentariis voc. קור *p. 736.* impie æque ac superbe קור בת pro gradu quodam prophetiæ & loquela DEI venditari asserit, illudque effectum Rabbinomanie, aliis nec paucis nec minus absurdis addendum, nuncupat. Adde eundem in voce קור pag. 782. Conf. BUXTORFII *Lexic. Talmud. p. 320. seq.* VALENT. SCHINDLERI *Lexic. pentagl. p. 1599.* HOTTINGERI *The-saur. Philol. Lib. II. c. I. Sect. 4. p. 515. sq.* & LIGTE. *Tom. I. Opp. in Harmon. Evang. Part. I. p. 349.*

§. XVII. Pergimus ab illis symbolis, sub quibus immediatum DEI commercium externis sensibus propositum fuit, ad ea, quæ *internum sensum, phantasmam*, inprimis affecerunt. Qui modus evenit, quando nulla res corporea reali actione afficit organa sensuum, sed spiritus animales per voluntatem DEI ita agitantur in cerebro, idque eo modo afficiunt, quo modo externa objecta illud commovissent, describente WITSIO *Misc. S. T. I. p. 19.* Quas igitur Græci Φαντασιαι vocant, nos recte, uti est apud FABIVM *Instit. lib. VI. c. 2. p. 353. edit. Obrechtii*, visiones appellamus, per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis ac præsentibus habere videatur. Visiones hæc divinæ, de quibus nunc sermo est, vel *vigilantibus* sunt oblatæ, vel *dormientibus*, sive ut Græci Theologi efferunt, κατὰ Φαντασιαιν ὑπνέπων, ἢ τὴν κατὰ οὐκτα.

§. XIII. Quæ *vigilantibus* contingere, alias dicuntur *ecstases*, cessante operatione sensuum externorum immixtæ; ubi quidem non attendimus subtile illud & inane discrimen, inter

inter *ecclasin, raptum, & mentis excessum*, quo sibi placent Scho-
lastici, *Joh. Gerson & Jacobus de Valentia*, de quo V O E T I V S
Parte II. Select. Disp. p. 1040. Propriæ ferme fuerunt ecclastes
tales Prophetis, quippe qui ideo etiam וַיִּרְאֵהוּ & וַיִּשְׁמַעוּ
dicuntur, eo quod Spiritus S. munere ea, quæ cæteris erant
clausa, quasi conscii futurorum videbant, uti ex libro, cui
inscriptio : *Chronologia Sanctorum*, denominandi rationem
adducit DAN. HEINSIUS in *Exercit. Sacris ad N. T. l. 4. c. 6.*
p. 213. Exempla hujus appellationis occurrunt *1. Sam. IX, 9.*
1. Paralip. IX, 22. XXVI, 28. XXIIIX, 29. 2. Paral. IX, 29. Es. XXX, 10.
ipsarum vero ecclastium in *Esaiâ, Es. VI, 1. Jeremia, Jer. XXIV, 1.*
Ezechiele, Ezech. I, 1. Daniele, Dan. X, 5. aliisque. Minime
tamen hæ ipsæ ecclastes *verorum prophetarum* similes putandæ
sunt raptibus illis *falsorum prophetarum*, vel a natura corrupta
vel a dæmone oriundis. Illi enim quieto animo & mente
integra prædicebant futura : *hi* cum furore & insaniam loque-
bantur; *illos* durante ecclasti nunquam prophetasse legimus,
cum *hi* in ipso mentis excessu prophetarint, de quo MIL-
TIADÉS, *insignis Christianorum Seculo II. apologeta*, librum con-
cinnavit : Ἐπι τῷ μὴ δῆν προφήτην ἐν ἐκστάσει λαλεῖν,
teste EVSEBIO H. E. *lib. V. c. XVII. p. 183. edit. Henr. Valesii.*
Vnde etiam deliria illa *falsorum Prophetarum* non ἐκστάσεις
sed παρενστάσεις appellantur, cum ἐκστάσεις fere in bonam,
παρενστάσεις semper in malam partem accipiatur; observan-
te HENR. VALESIO in *eruditiss. ad Eusebium annotationibus*,
p. 29.

§. XIX. *Dormientibus* quæ evenere visiones dicuntur
somnia, in quibus sæpissime imagines rerum revelandarum
viris Sanctis aliisque DEVS obtulit. Quamvis enim
DEVS somniorum talium, quæ ab incerta proficiscuntur
causa, observationem prohibuit, *Jer. XXIX, 8.* ea tamen,
quæ ipse immisit, negligi noluit, *Num. XII, 6.* De priori-
bus recte GREGORIUS NYSSENVS *Lib. de virginitate, c. 23.*

p. 607. Tom. II. Opp. edit. Paris. M DC XV. fol. quando queritur, quod sint, ἐνοπιασῶν, οἱ τὰς ἐκ τῶν ἀνείρων ἀπόττας πισωτέρως τῶν εὐαγγελικῶν διδαγμαῶτων ποιῶμενοι, ἢ ἀποκολύψαι τὰς φαντασίας προσαιγοῦντες. Divina vero somnia immissa legimus partim *fidelibus*, ut Jacobo, *Gen. XXVIII, 12. XXXI, 10.* Josepho, *Gen. XXXVII, 5.* Salomoni, *1. Reg. III, 5.* Danieli, *Dan. VII, 1. II, 19.* partim *infidelibus*, ut Abimelecho, *Gen. XX. Labani, Gen. XXXI, 24.* Principi pincernarum & principi pistorum Pharaonis, *Gen. XL, 5.* Pharaoni ipsi, *Gen. XLI, 1.* Nebucadnezari, *Dan. II, 1. IV, 2.* Vid. B. GLASSIVS in *Philolog. S. Lib. II. Parte I. Tract. II. Sect. 4. p. 453. seq.* MOLINÆVS in *Vate lib. I. c. X. p. 18. seq.* & CAROLVS SIGONIVS de *rep. Hebr. Lib. V. c. IX. p. 370.* Add. qui & de ecstasi & de infomniis fusius egit, *sepe laud. WITSIVS l. c. IV. & V. p. 21. sq.*

§. XX. Hæc fere ea sunt *symbola*, sub quibus DEO in Veteri Testamento commercium cum hominibus colere placuit, quæ tantam abest ut *immediatam DEI* in-manifestando præsentiam, sive *immediationem suppositi*, ut loquuntur, excludant, ut potius eandem confirmet, & ceu effectus de causa principali testentur. Ex quibus nemini non patebit, quo loco habenda sit SIMONIS EPISCOPI, qui *Os Arminianorum* vulgo dictus, & præcipuus Sectæ Remonstrantium Parastata fuit, assertio, dum *Instit. Relig. Christ. lib. II. c. I. pag. 24.* nullam agnoscit in Veteri Testamento *immediatam DEI* revelationem, omnesque ministerio angelorum peractas contendit. Equidem mediatum hoc *DEI* commercium, quod *interventu angelorum, πνευμάτων λειτουργικῶν ἢ διακονικῶν, Heb. I, 14.* factum est, & novimus, & concedimus, & ex ipsis literis sacratoribus demonstrare possumus, quandoquidem pium *Lothum, Gen. XIX, 12. 15. Eliam, 2. Reg. I, 15. Daniele, Dan. II, 16. IX, 21.* aliosque DEVS hoc pacto de voluntate sua certiores fecit. Interim

rim tamen & immediatum DEI commercium, idque vel *simplex* vel *symbolicum*, ex iis, quæ superius fuerunt adducta, non equidem obscure posse & debere colligi, jure existimamus.

§. XXI. Neque vero hic JOH. SPENCERI, SS. Theol. D. Ecclesie Eliensis quondam Decani, & Colleg. corp. C. apud Cantabrig. Præfati, Viri cætera eruditissimi, hypothesein amplecti fas est, per quam in *Libr. de Legibus Hebræorum ritualibus* uti omnium Hebræorum mysteriorum origines ad Ægyptios, Zabios, & gentes alias refert, quod in Grotio jam olim reprehendit Magnus noster CALOVIVS in *Bibl. Illustr. ad Lev. I, 9. p. 471.* ita inprimis *lib. III. Diss. I. cap. 2. sect. 3. p. 534. seq.* somnia, prophetias, vaticinia, omina, visiones, ipsumque instinctum divinum, & alios omnes occulta cognoscendi modos, ex ritibus inter gentes usitatis deprompsisse Deum, & ob imbecillitatem ac pervicaciam Israelitis concessisse statuit. Cujus quidem sententiæ fundamentum cum ex Scriptura S. satis firmum petere nequeat, partim ad profanorum scriptorum testimonia, convenientiam inter Judæos & gentes alias indicantia, partim ad dictamen rationis se recipit, quam vel tacente Scriptura S. docere asserit, dubitari non debere, quin hac ipsa memorata de causa DEVS varia prophetiarum & oraculorum genera Judæorum genti dederit, cum nulla alias ratio reddi possit gratiæ tam dissimilis, quæ Ecclesie Christianæ fuerit denegata. At enim, ne dicamus, quod ille minus religiose istos *commerciū divini* modos, quos DEVS in Vet. Testam. populo suo concessit, gentiliū pene ritibus æquales faciat: hoc monuisse sufficiat, quod principalis, adeoque unicus legum ceremonialium finis & scopus vel evertatur vel negligatur, qui præeunte Paulo in *Epistola ad Hebr.* in adumbratione cæcœnomiæ N. T. rectissime collocatur. Voluit quippe DEVS

D

his

his *commercii* generibus, quæ *ritualia* ex parte erant, promissiones de Messia, Patriarchis a mundi exordio factas, in rep. Israelitica conservare, & amplius illustrare, ut haberent pii, quo fidem suam nutrent, spem alerent, & ad quotidiana suspiria excitarentur, asserente CARPZOVIO in *notis ad Schick. J. R. p. 45.* Quod vel ipso nomine artificis summus Legislator occulte & sapienter significatum voluit, quandoquidem בצל אלהים secundum *Philonem* etiam sonat: Ἐν σκιά ὁ Θεός , uti eleganter monet D. JAC. TRIGLANDIVS, celebr. quondam Acad. Leidenfis Prof. in ex-quisita Oratione de *Origine & causis rituum Mosaicorum, Lugd. B. MDCCII. habita p. 7.* Deinde nec jaçtata illa cum gentium aliarum statutis *consensio* evicta est, aut unquam evincetur, nec si in nonnullis aliquantulum adstrui possit, a DEO est repetenda, cum minus omnino sit probabile, sanctissimum Numen ab invisis sibi hominibus gratiæ suæ documenta derivare, & per συγκατάβασις quandam Judæis concedere voluisse, cum ipse subinde in scripturis graviter Israelitis interdicit, ne exterarum gentium sacra imitentur, *Lev. XVIII, 3. Deut. IV, 2. coll. 7. 8.* Quin potius sive ex simili judicio sive ex mera κακοζηλία ethnicos exemplum populi Judaici expressisse statuendum est, quæ partim traditionibus, partim suggestionibus dæmonis, qui, si uspiam alias, certe in revelationibus, DEI simia est, originem suam debuerit. Nec etiam ἀπὲρ γραφῆς conjecturis & ratiocinationibus hic indulgendum fuerit, præsertim iis, quæ robore justo destituuntur, cum *alia* ecclesiæ veteris Judaicæ, *alia* hodiernæ Christianæ sit facies. Nam illi condendæ & confirmandæ DEVS beneficia sua modo quodam magis sensibili propria fecit, uti & in ecclesia Christiana nascente factum: huic vero jam plantatæ non item, quod facile ipso careat, & relata a viris Θεοπνεύστοις in literas di-
vinæ

vinæ & providentiæ & bonitatis documenta legere, ac Βεβαιότερον τὸν Προφητικὸν λόγον. 2. Petr. I, 19. consulere possit. Vid. omnino TRIGLANDIVS in *Orat. cit.* Add. JOH. van der WÆYEN in *Diff. pec. Variis Sacris n. 3. p. 267.* inserta, WITSIVS *Lib. II. Aegyptiac. c. I. seq.* & alii, quos adducit *Excellentissimus* DN. J. C. WOLFIVS, Fautor ac Præceptor ea, qua par est devincti animi observantia ætatem excipiens, in *Diff. sing. hic loci MDCCVI. proposita*, in qua Spencerianam de Zabiis hypothesin ceu meris innixam conjecturis solidissime excusit, totique adeo superstructo systemati περιπέττω nervum incidit.

§. XXII. Vidimus commercium, quod DEO cum hominibus in *Vet. inprimis Testam.* intercessit: progrediamur ad illud, quo *novum fœdus* fuit insignitum. Sicuti enim *Vetus Testamentum* non male cum AVGVSTINO de *Civit. DEI* l. 16. c. 26. *occultationem Novi, hoc revelationem Veteris* dixeris: ita & hac in parte utriusque eadem sane fuit conditio. Sub ipsum illius auspiciam æternus DEI FILIVS admirandum cum humano genere *commercium* iniit, quandoquidem evectam in ὑπόστασιν τῆς λόγου humanam naturam sibi intime unire haud fuit dedignatus, & in assumpta hac carne familiarissime cum hominibus est conversatus. Quod commercium merito excellentissimum audire debet, quoniam ἀχώριστον est & ἀδιάλυτον, ipsamque humanam naturam complexu ἀυχημάτων vere divinorum & infinitorum beat: ut adeo ad exprimendum illud celebris Carthaginiensium Præsul CYPRIANVS (quamvis phrasi dextre explicanda, de qua ὁ πᾶν, Divus C. S. SCHVRTZFLEISHIVS in *Diff. pec. h. l. MDCCV. habita*) de *Idolor. vanit. p. 207. edit. Nic. Rigaltii Paris. MDCLXVI.* scripserit: DEVS CVM HOMINE MISCETVR.

§. XXIII. Post ingressum in caelos Salvatorem, ut somnium *Josephi Maub. l. 20. II. 3.* & apparitionem Gabrielis Zachariae & Mariae factam *Luc. I. 13. 26.* omittamus, Apostoli vario commercio divino gavisi fuere, quod eodem, quo in Vet. Testamento ordine fusius possemus exponere. Sed ut in compendium dicenda mittamus, Θεοπνευστίων Pauli, qui per internam revelationem evangelium accepit, quando DEO libuit revelare Filium suum in ipso, *Gal. I. II. 15. 16.* Orale allocutionem, *Act. IX. 4.* lingvas igneas visas, *Act. II. 3.* avictum Johanni factum, *Apoc. I. 17. ecclesias Petri, Act. X. 9. 10. II. Pauli Act. XXII. 17. 2. Cor. XII. 2. 3. 4.* & Johannis passim in *Apocalypsi*, virum Macedonem Paulo in somnio apparentem, *Act. XVI. 9.* & denique liberationem Petri per angelum, *Act. XII. 7.* exempli loco adduxisse contenti erimus.

§. XXIV. Nec minus Viri Apostolici, sanctique alii nascentis ecclesiae Doctores, huc referendi fuerint, quibus sub initium N. Test. sublimis satis commercii divini gradus obtigit, quandoquidem prophetiae donum necdum in iis cessaverat. Quod enim de QUADRATO testatur EVSEBIUS H. E. *lib. III. c. XXXVII. p. 109.* eum Θεοφητικῷ χαρίσματι fuisse illustrem: idem forsitan aliis etiam immediatis Apostolorum discipulis, *Tito Epheso, Clementi Romano, Ignatio, Polycarpo, Barnabe*, reliquisque concedendum fuerit, cum idem *Eusebius l. c.* generatim asserat, quod οἱ ἀνέροντες εἰς πλεον τοῦ κήρυγμα, καὶ τὰ σωτήρια σπέρματα τῆς τῶν θρανῶν βασιλείας ἀνὰ πάσαν εἰς πλάτος επισπέροντες τὴν οἰκουμενὴν, divino Spiritu πλείστας παραδόξους δυνάμεις etiam tum fuerint operati. Eandem in sententiam JUSTINVS MARTYR in *Dialogo cum Tryphone Judaeo pag. 303. edit. Colon. M DC LXXXVI.* Περὶ γὰρ ἡμῶν καὶ μετὰ τὸν Θεοφητικὸν καὶ χαρίσματα εἰν ἐξ ἑ καὶ αὐτοὶ συνιέναι ἐφέλετε, ὅτι τὰ πάντα ἐν τῷ γενεῖ ὑμῶν ὄντα εἰς ἡμᾶς μετετέθη: quod & anno-

annotavit EVSEBIUS, *H. E. l. 4. c. 18. p. 140.* ubi de Justino: γραφει δὲ ἢ ὡς ὅτι μέχρι ἢ αὐτῶ χαρίσματα προφητικὰ διέλαμπεν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας. Cum vero de eo, quod MILTIADIS apud *Euseb. l. 5. c. 17. p. 183.* dixit, δὲν εἶναι τὸ προφητικὸν χάρισμα ἐν πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς τελείας παρρησίας, nulla in sacris literis extet declaratio: id saltem quaeri poterat, quousque in progressu Nov. T. commercii hujus prophetici valor sese extendat, cum ORIGENES *Lib. I. contra Celsum p. 34. & 35. edit. Gvil. Spenceri Cantabr. M DC LXXVII. 4to CYPRIANVS Ep. VII. p. 17. & Ep. IX. p. 22. edit. Rigalt. GREG. NYSSENSUS in Oratione de vita Thaumaturgi Tom. II. Opp. p. 977. sq. edit. Paris. THEODORIVS in Comment. ad Joel. II. p. 759. Tom. II. Opp. edit. Paris. M DC XLII.* ad sua illud tempora, alii longius protrahant. Licet igitur detur, floruisse aliquandiu in ecclesia DEI propheticos viros: minime tamen omnibus iis, quæ traduntur, fides fuerit habenda, cum periculosa sit plenum opus alexæ, nec ecclesia post absolutam fidei regulam talibus indigeat, præsertim iis in rebus, quæ fidei essentialia & fundamentalia capita tangunt. Et quanquam speciatim *Cypriani* visiones magno molimine adstruere conatus sit in *Diss. IV. Cyprianica p. 10. sq.* HENRICVS DODWELLVS, haud ita pridem in Anglia anni M DCC XI. mense Junio vita functus, Vir, si quædam ejus paradoxa non attendas, laude dignissimus, quippe quo, iudicio CLE-
 RICHI in *notis ad Tom. I. Patrum Apostolicorum Job. Bapt. Coelerii p. 141.* rebus ecclesiasticis antiquissimi ævi nemo facem hæctenus intulit fulgentiorem: recte tamen illum eo nomine notavit *Venerandum Caput Magnif. DN. D. CASP. LOESCHERVS, Præceptor omni pietate colendus*, cui senium tranquillum ecclesia DEI, qua purior est, universa apprecatur, in *Diss. de Visionibus hac in Academia M DC XCIII.*

ventilata, §. 34. p. 29. sq. Conf. poit WITS. M. S. T. I. L. I. c. XXIV. p. 364. sq. GVIL. SALDENVS in *Otiis Theologicis Lib. I. Exerc. IX. p. 190. sq.*

§. XXV. Sat multa de primo primariae divisionis momento diximus, quo commercium DEI & hominum jam dudum factum complexi, & in exponendo eodem aliquanto fufius ob rerum copiam ipsiusque argumenti fertilitatem versati sumus. Si jam ad alterum, quod commercium divinum adhuc hodie contingens sistit, procedamus: initio quidem statim monendum fuerit, non hic nos agere de commercio illo generali, quo DEVS in regno potentiae, tum quoad ἀδιαισθητων & immediationem suppositi, tum quod ἐνέργειαν & immediationem virtutis, uti omnibus creaturis, ita imprimis ratione praeditis, adest, earumque vitam naturalem, moralem & civilem, ipsasque artes & scientias moderatur & ordinat; de quo leg. quae Vir vere πολυμάθεστος D. G. MORHOFIVS in *pec. Programmate de eo, quod in disciplinis Θεῶν est*, primum Kilonii M DC LXXXVII. publicato, post inter *Orationes & Programmata ejusdem, Hamburgi M DC XCIX. 8vo. collecta p. 55t. sq. excusso*, & denique Tomo I. Polyhist. L. I. c. 12. p. 122. sq. inserto, nec non Magnif. DN. D. JOH. BAPT. ROESCHELIVS, Praeceptor & Fautor nunquam non honorandus, in *eruditiss. Diss. de eo, quod Θεῶν habetur in rebus naturalibus*, hic *Witreb. M DC XCV. proposita*, observarunt. Cui fortassis commercii generi illud annumerandum erit, quod Poëte imprimis sibi tanquam peculiare quippiam vindicant: quandoquidem non modo PLATO istos Θεῶς εἶναι pronunciavit, ἢ ἐνθεσιάζειν ἐπιπνευς ὄντας, ἢ κατεχομένους ἐκ τῆς Θεῶς, sed & ipsi Ovidiano illo gloriantur:

Est DEVS in nobis, sunt & commercia caeli;

quam

quam in rem conferri merentur ea, quæ inter PETR. BAYLIVM, infigne quondam Galliæ decus, in *Dict. Hist. Crit. Tom. II. p. 1871. sq. lit. G. edit. Roterod. MDCCII. & Cl. SEBAST. KORTHOLTUM, Prof. Pœf. Kilon. cum in Diss. de Enthufasmo Pœtico, Kil. MDCXCVI. tum in Disquis. Uiram Petrus Lotichius secundus obsidionem urbis Magdeburg. prædixerit, ibid. MDCCII. agitata sunt. De speciali potius, particulari, & gratioso commercio nobis sermo est, quod sibi fideles & credentes sibi vindicant.*

§. XXVI. Illud igitur omne commercium, quod supremo Numini & in V. & in N. T. cum hominibus interessit, longoque abhinc annorum tractu jam expiravit, non equidem ita prope nos tangit, quam id, quod vel his ipsis nostris temporibus perdurat & viget. Uti enim prioris virtutem Patriarchæ aliique viri sancti fuere experti: ita ad nos itidem non exigua certe felicitas ex posteriori redundat. Quod licet per totam œconomiam gratiæ copiosissime sese diffundat: suam tamen inprimis efficaciam in *justificatione & unione mystica* salutariter exerit.

§. XXVII. Ac in *justificationis* actu inter C. mediatorem & hominem peccatorem *commercium* quoddam *relativum & morale* obtinet. Quando enim homo fiduciali apprehensione acquisitam in C. salutem amplectitur, & sic gratiosa inde oritur, ita ut C. non amplius ceu DEUS & iudex pro tribunali sedeat, sed tanquam Goël, Redemptor, ac Mediator noster coram tribunali justitiæ divinae latus nostrum claudat, et cum reo *παράκλητος* ipse unam personam moralem constituat, causamque communem habeat, *Rom. VIII, 34. i. Job. II, 1.* Ibi nimirum Christus omne meritum suum in hominem, homo peccata in C. devolvit, & peccator tanquam *reus* personam *Patroni* & advocati sui, Christi, Christus peccatoris induit, ejusque

que noxam & debitum sibi, ut Paulus Onesimi *Epist. ad Philem. v. 18. 19.* vult imputari, solutionemque pro eodem offert: eaque demum de causa a DEO omnis reatus hominis Christo, qui plenissima sua morte pro eodem satisfecit, & ipsa hæc satisfactio homini eandem apprehendenti imputatur. Vid. B. WILH. LYSEVS *Syst. Parte III. c. III. Sect. 2. membr. 2. p. 1547. sq.*

§. XXVIII. *Media*, quibus hoc commercium stabilitur, ex parte DEI sunt Verbum & Sacramenta, quibus ipse ceu organis salutis, per legitimos verbi divini ministros in hunc usque diem exhibendæ, utitur. Quemadmodum enim in regeneratione per verbi salutaris prædicationem vires & facultas credendi conferuntur: ita in justificatione, ubi facultas hæc in actum est deducenda, eidem per annunciationem evangelii, quæ est *διακονία τῆς δικαιοσύνης* 2. Cor. III, 9. & *καταλλαγῆς* 2. Cor. V, 18. justitia C. salvifica apprehendenda exhibetur, *Luc. XXIV, 17.* Deinde etiam per baptismum DEVS in justificatione cum hominibus agit, uti explicat Paulus *Ti. III, 4. 5. 7.* *eucharistia* vero tum confert, tum confirmat remissionem peccatorum, & gratiam a Christo partam certissime obsignat. Ex parte hominis ad accipiendam hanc benevolentiam & amicitiam tesseram requiritur fides salvifica, quæ vinculi instar est, DEVM hominesque connectentis. Cum enim homo peccator ex proprio merito justificationem coram DEO obtinere nequaquam possit: sola fides sufficientissimo C. merito innixa hic omne momentum conficit, *Rom. III, 28. Gal. II, 16.* per quam *σεσηπικώς* peccata nobis remittuntur, *Rom. III, 25.* & *Ἰερως* justitia C. imputatur *Rom. IV, 5. 6. V, 9.*

§. XXIX. Simulac vero ea ratione homo a reatu, quam per peccata sibi contraxerat, est liberatus, arctius DEVS

DEVS cum ipso commercium inire haud dedignatur, quod sub *unionis mysticae* nomine in Theologorum scholis venire solet, & a Johanne *κοινωνία* vocatur, 1. Ep. I, 3. add. 6. 7. Neque enim Christus tantum mediator, sed tota SS. Trinitas propius ad fidelem accedit, pectusque ipsius fide præparatum occupat, et in eodem ceu grato sibi templo & hospitio, quod evenire non posse Chaldæi quondam sapientes existimabant, Dan. II, 11. habitat, Joh. XIV, 23. 2. Cor. VI, 16.

§. XXX. Si *media* perquiramus, quibus *commercium hoc mysticum* procuratur, eadem illa esse, quæ in commercio *relativo*, deprehendemus. DEUS enim & ἀγαθόν & ὀρετόν verbum adhibet, dum C. nos *vocat* per gloriam & virtutem suam, ut *θεός κοινωνοὶ φύσεως* reddamur, 2. Petr. I, 3. 4. & in uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, 1. Cor. XII, 13. & unum corpus multi sumus, quia omnes de uno pane participamus, 1. Cor. X, 16. 17. homini autem *fide* vera hunc hospitem benignissimum excipere incumbit, per quam nimirum C. habitat in cordibus nostris, Ephef. III, 17. Gal. III, 26. Conf. JOH. AD. OSIANDRI, Colleg. Theol. Syst. Part. VI. loc. XVI. p. 17. seq.

§. XXXI. In eo tamen conjunctio hæc *mystica a moralis* differt, quod minime omnium sit *relativa* & mere *habitualis*, sed *realis* maxime & *intima*, adeoque sollicite ab eadem distingui debeat. Hæc ipsa illius *natura & forma*, quæ *intrinsicæ* & *ineffabili* substantiæ hominis *fidelis* cum substantia SS. Trinitatis & *humanæ* C. *θεοῦ ὁμοιωσις* naturæ conjunctione absolvitur, Joh. XVII, 21. 23. 1. Joh. I, 3. eo circumspiciendus fuerit attendenda, quo major & speciosior eorum est numerus, qui vel *in excessu*, vel *in defectu*, peccarunt. *In excessu* quidem peccant, qui sibi hoc commercium ad modum *vel transubstantiationis* vel *con-*
E
sub-

substantiationis divinæ & humanæ naturæ, per μεταμορφωσιν Ovidiano, quam Christiano, ingenio digniorem, concipiunt, quales fuerunt ex Patribus nonnulli, Macarius, Clemens Alex. itemque mystici & fanatici crassiores: in defectu autem, qui unionem hanc in sola gratiosa Spiritus S. operatione consistere volunt, & vocabula ὑπαρτικῶν ἰν ἐνεργητικῶν transmutant, uti faciunt Calviniani, alique Dissidentes. Vid. hæc omnia copiosissime ad liquidum perducta a Rever. Dn. D. PRÆSIDE in *Diss. de Communione fidelium cum DEO & inter sese*, MDCCIX. h. l. habita, §. 21. p. 16. sq. Add. Bl. J. FLULSEMANNUS in *Breviar. c. XIV. p. 52. sq.* & in *Supplem. p. 53. seq.* J. G. DÖRSCHMANS in *Pentatec. Diss. Theol. Auctar. Diss. II. §. 10. p. 589. & §. 13. p. 591. seq.* & denique B. CALOVIVS *Syst. Tom. X. art. V. c. 1. & 2. p. 509. seq.*

§. XXXIII. Quam familiare, quam intimum hoc fit commercium, vel ex consequenti ejusdem, communicatione nimirum mystica, cognoscere licebit. Licet enim illa, perinde ut ipsa hæc unio, non fit personalis: certis tamen propositionibus idiomaticis saltem εἰσαγωγῶς, exprimitur, quæ, uti propositiones personales, ad tria genera revocari solent. Ubi tamen nonnullos in applicandis exemplis communicationem cum C. in genere a communionem, quæ ex inhabitatione resultat, non satis accurate distingverè, & Relativam eum Mystica confundere, recte notat Rever. Dn. D. PRÆSES. l. c. p. 28. Primum itaque generis ἰδιοποιήσιν spiritualis, ad quam nonnulli, sed minus εἰσαγωγῶς, referunt κοινωνίαν τῶν Θεοῦ ὑπαρτικῶν, rectius vero ἰδιοποιήσιν τῶν ἀνθρωπίνων, quando C. sibi appropriat ea, quæ nobis ab aliis impertiuntur bona et inferuntur mala, *Matth. X, 40. XXV, 42.* Secundum est μεταμορφωσιν, per quam Pater nobiscum communicat divinam divinitatem, *2. Petr. I, 3. Filius jus regni, Apoc. I, 6. V, 10. jus Sacerdotii, Ebr. XIII, 15. vitam, Phil. III, 21. Spiritus S. ardo-*

ardorem pie precandi, *Rom. VIII, 15.* & sanctitatem, *Rom. I, 4.* Tertium denique est *καὶ νόστοι τῶν ἀποτελεσμαίων*, per quam omnia valemus, *Phil. IV, 13.* carnem nostram crucifigimus, *Gal. IV, 24.* mundum vincimus, *Job. XIV, 33.* & diabolum fugamus, *Jac. IV, 7.* Vid. omnino *Vener. Dn. D. PRAESSES in Diss. cit.* & *DÖRSCHÉVS l. c. §. 19. p. 597. seq.* Merito proinde maximam hinc & incomprehensibilem oriri consolationem, quam omnibus hujus vitæ periculis, & adversis tentationibus firma fide opponere possimus, asserit *B. GERHARDVS Harmon. Evang. Part. III. cap. CLXXVI. p. 606.*

§. XXXIII. Quæ de Commercio DEI & hominum ne hodierno quidem tempore deficiente hucusque exposuimus, ea secundum causas & media a DEO ordinata evenire solent, differantque ab iis, quæ *extraordinario* nonnunquam modo accidunt. Negari enim non potest, DEUM se quandoque singulari ratione his vel illis manifestare; qua tamen in re ita caute versandum est, ut probe attendatur, num revelationes tales verbo DEI, analogiæ fidei, librisque Symbolicis sint contrariæ, num de rebus fidei & morum præcipiant, num vero indifferens pro objecto habeant argumentum, adeoque nec temere quippiam supra canonem evehatur, nec absque scrutinio & examine debito rejiciatur. Conf. *CONSILIA Theol. Wittob. Part. I. f. 803. seq. & 816. seq.* & *J. C. DANNHAVERI Theol. Conscient. Tom. I. p. 21.* Inprimis vero *agonizantibus* haud raro peculiarem quandam commercii divini gratiam obtingere notum est, qui cum proximi cælo sint, a Spiritu S. procul dubio de futuris vitæ æternæ gaudiis informantur: cujus rei exempla petere licebit ex *WENCESL. BERGMANNI Tremenda mortis hora,* & *GOTTFR. FEINLERI Theatro morientium.*

§. XXXIV. Atque hoc ipsam quasi præludium est Commerciū DEI & hominum aliquando denuum futuri, quod

tertio considerandum loco reservare libuit, & paucis adhuc expediendum restat. Inchoatur illud equidem *in hac corrupta natura*, non vero aliter quam applicatione beneficiorum C. ejusdemque communicatione in regeneratione, justificatione, unione mystica & renovatione, nec non quoad *περοποιτισμὸν* quendam, *Rom. VIII, 24. Hebr. VI, 4. 5.* & in *altero demum seculo* & regno gloriæ consummatissime adimplebitur. Ibi enim electi & sancti, conformes glorioso corpori Christi, cum universo cœlitum choro augustissime triumphabunt, & beatifica DEI visione, intimaque ac dulcissima cum eodem conversatione perfruentur, *1. Cor. XIII, 12.* Erit igitur commercium hoc omnium *perfectissimum* & memorata hæctenus genera longissime antecedet, quandoquidem & solvi nescium, & nullis vicibus obnoxium, & donis ineffabilibus qua animam, qua corpus, plenum perennabit, ita ut nos apud Dominum *simus perpetuo*, & DEVS simul sit omnia in omnibus, *1. Thess. IV, 17. 1. Cor. XV, 28.* Ad quam metam cum studia, operæ, cogitationes, consilia Christianorum omnium tendant: ut nemo non eo, post exartatas vitæ hujus misérias, felicissime olim pertingat, ex animo vovemus & optamus.

§. XXXV. Quod reliquum est, si omnes illas, quas adduximus, *commercii DEI & hominum* species conferamus inter sese & comparemus, talis inde ejusdem emergere poterit descriptio, quod sit *gratiosa summi Numinis cum genere humano conversatio, qua illud variis modis sese revelat, agit, operatur, & vera fide accedentes benevole admittit, in sui nominis gloriam, hominumque solatium & salutem.*

M. T. Θ. Δ!

Th. 1379

ULB Halle

002 422 239

3



5b,

M. C.





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

O. F. F. O. S.
DE

28

COMMERCIO DEI ET HOMINVM

VEL
Von der

Gemeinschaft zwischen **SSSS**
und Menschen

PRÆSIDE

DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO

SS. THEOL. D. ET PROF. P. LONGE CELEBERRIMO
TEMPLI CATHEDR. OO. SS. PRÆPOSITO GRAVISSIMO ALVMN. SAXON.
EPHORO MERITISS. ET H. T. COLLEG. THEOL. DECANO
SPECTATISSIMO

DOMINO PATRONO, PRAECEPTORE, AC STUDIORVM
PROMOTORE, PERPETVA ANIMI PIETATE
VENERANDO

AD DIEM XIX. APRIL. A. O. R. M DCC XII.

H. L. G.

PUBLICÆ DISSERVIT
RESPONDENS AVCTOR

SAM. GERHARD. A MELLE, Lubecensis.

EDITIO SECUNDA.

VITTEMBERGÆ, LITERIS IO. CHRISTIANI GERDESII. 1731.